

occulta, contrahat ex circumstantia loci sacri, in quo facta est, formalem malitiam sacrilegii; ideo enim hoc, quia formalitas sacrilegii afficit pollutionem ut culpam, quæ cum imbibat omnem malitiam formalem, etiam sibi adjacentem sive publica sit, sive occulta, ideo quatenus facta in loco sacro, est sacrilega, licet occulta. E contra pollutio, seu violatio Ecclesiae, est quidem veluti macula quodammodo in ipsam resultans, sed à jure alligata certis criminibus in ea commissis, & ab his insurges in publicam pœnam delinquentis, ut nempe hic reflectens ad maculam, quæ per talia perpetravit in ipsammet Ecclesiam inducitur, ad confusionem, ac dedecus resultans committenti, si vel palam ea committat, vel commissa publicentur, eaveat ab iis perpetrandis, aut de aliquo à se perpetrato magis erubescat, & doleat. Jam vero notum omnibus est, Ecclesiam non infligere pœnam, seu penitentiam publicam, nisi ob delictum publicum, & per consequens Ecclesia polluta dici non debet ob pollutionem occultam.

M E N S E J U L I I .

CAS. I. **M**ulier pessima, ut Confessarium ad in honestum sui amorem provocet, plura obscena ei narrat in Confessione. Q. an hæc cadant sub sigillo; an vero possit extra Confessionem mulier corripi, ut à Confessariis sollicitandis desistat?

Respondeo cum distinctione. Vel talis mulier narrat tantum hujusmodi obscena, eaque ex hoc solo fine, ut Confessarium provocet ad in honestum sui amorem; & in hoc casu ista non cadere sub sigillo, sed posse extra Confessionem mulierem corripi, &c. Vel etiam narrat alia peccata, omnia quæ ordinat ad Confessionem Sacramentalem, & tunc dico, ista omnia cadere sub sigillo, & mulierem non posse corripi extra Confessionem. Ratio 1. part. est, quia in eo casu illa narratio non est Confessio, sed mera sollicitatio, & provocatio ad in honestum sui amorem, circa quam non tenetur Confessarius ad sigillum, ac proinde eam celare non obligatur, sed jure potest sollicitantem, ac provocantem objurgare, & corrumpere, ut à Confessariis sollicitandis desistat. Graffius decis. Aug. lib. 1. cap. 23. num. 18. Ratio secundæ partis est, quia in hoc alio casu est Confessio, quantumvis mala, & sacrilega, omniaque ordinata sunt ad Confessionem. Propterea, cum ea omnia, quæ cadunt sub Confessione, & ad Confessionem ordinantur, cadant sub sigillo, hinc sit, quod extra Confessionem nequeat mulier corripi, etiam ad hunc finem, ut illa à Confessariis sollicitandis desistat.

CAS. III. Novit Confessarius ex Confessione, mulierem quamdam esse valde proclivem ad venerea; unde post tres dies eam convenient domi, eamdemque sollicitat. Q. an sit denunciandus.

Resp. neg. Ratio est, quia licet Confessarius, ex auditis in Confessione talis mulieris motivum sumat eamdem sollicitandi, & sic abutatur notitia habita in actuali Confessione ejusdem; tamen non verificatur sive physice, sive moraliter, quod eamdem sollicitet in actu Sacramentalis Confessionis, neque immediate post, neque &c. cum lapsus interjacens trium dierum, nè dum physicam, verum etiam moralem interruptionem inducat. Et propterea si nihil rati mulieri dixit, uti supponitur, in actu Sacramentalis Confessionis,

ne-

neque immediate ante, neque immediate post, dicendum, quod minime sit denunciandus. Puteob. de Poenit. q. 5. art. 9. num. 23. circa finem articulo

CAS. III. Franciscus renuntiavit jurejurando hæreditati Patris; eo tamen mortuo, filii Francisci in eam succedere contendunt. Q. an juste.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia obligatio patr's mere personalis & ab ipso voluntarie assumpta, non transit in filios; neque hi illi stare tenentur, ut tradunt DD. comm. Jam vero talis erat Francisci obligatio, ab eo contracta per juramentum de renuntiando hæreditati paternæ: propriea cum filii nulla lege adiganur stare renuntiationi factæ à Franciso respectivo eorum patre, scilicet, non ex vi juramenti, quo ille semetipsum obligavit, eo quia hæc fuit mera illius obligatio personalis, quæ proinde non transiit in ipsos; neque ratione contractus, eo quia eriam Franciscus cessante juramento, de jure communii non tenebatur abdicare à se hæreditatem, ejusque dominium transferre in renuntiatarium; hinc sit, quod mortuo Franciso, filii ejusdem superstites juste in eam succedere contendunt. Sanchez, lib. 3. Moral. cap. 23. Sayros in Clav. Reg. lib. 5. cap. 6. quæst. 4. Sotus de Just. & Jur. lib. 8. quæst. 2. art. 2. col. 4. Graffius Decis. Aur. part. 1. lib. 2. cap. 18. quidquid in contrarium dicant Molina tom. 3. tr. 2. disp. 579. num. 4. & Layman lib. 3. tract. 5. cap. 7. num. 1. vers. Tertiam. Nam juramentum Patris non tollit jus filii adeundi hæreditatem l. quamvis patrum de factis in 6.

M E N S E A U G U S T I .

CAS. I. **E**TI Titius prævideat, quod se inebriendo blasphemabit, etiam hæreticaliter; se inebriat, ac in ebrietate hæreticaliter blasphemat. Q. an istæ hæreticales blasphemie sint reservatae?

Respondeo negative cum P. Mansio de Casib. Reserv. part. 1. quæst. 2. cas. 1. num. 22. & seq. aliisque comm. Ratio est, quia hujusmodi blasphemie, à Tito in ebrietate prolatæ, proprie non sunt veræ, ac formales blasphemie, sed tantum materiales; nec in se ullam habent propriam formalem malitiam, cum non proferantur à Tito quatenus homo est, ac rationalis, sed præcise continent malitiam sive causæ, in qua sola sunt voluntariæ. Hinc cum ad rationem casus reservari sit necesse, quod sit peccatum, & quidem formale, ideoque quod in se continet propriam formalem malitiam; dicendum, blasphemias hæreticales à Tito in ebrietate prolatas, non esse reservatas. Nec refert, quod Titus eas præviderit in ebrietate securas, & hoc non obstante, se inebraverit; id enim probat affectum, & inclinationem ad illas, easque fuisse volitas in causa. Ast quia reservatio non est quoad hujusmodi affectum, & inclinationem, ac voluntatem in causa, sed quoad ipsam formalem blasphemiam hæreticalem; ideo quia in se tales non sunt blasphemias hæreticales à Tito in ebrietate prolatæ, istæ non sunt reservatae: reservatio namque in hoc imittatur legem prehalem; quod sicut poena non incurritur, nisi quis probetur reus, atque adeo nisi probetur delictum, & quidem commissum, prout cadit sub tali poena; ita idem valet de peccato, ut cadat sub reservatione: præcipue cum forum internum miratur veritati, & non meritis præsumptionibus, ut forum externum. Neque oppositum evincit paritas de homicidio voluntario, quod licet volitum in

cau-

causa, puta in propinazione veneni, ex quo sequitur mors, in gravi percusione prægnantis, unde sequitur abortus &c. adhuc est reservatum, ut inter alios tradit Girib. de Sacram. Pœnit. cap. 15. dub. 4. §. 5. Disparitas enim est, quia homicidium volitum ex. gr. in propinazione veneni, est volitum in causa proxima, non vero in remota, sicuti sunt blasphemiae prævisæ securæ in ebrietate. Hinc sicuti si quis prævideat, quod se inebriando aliquem occidet; si se inebriet, ac ebrius aliquem occidat, per eumdem Giribaldum ibidem n. 57. tale homicidium in eo casu non est reservatum, etsi prævisum, quia tunc est voluntarium solum in causa remota: ita neque sunt reservatae blasphemiae prævisæ securæ in ebrietate, ob eamdem rationem.

CAS. II. Occidit Sejus Clericum, sed occulte. Q. an Jubilæi tempore tum possit absolvî à peccato, & excommunicatione, cum etiam dispensari ab irregularitate?

Respondeo, quamvis resolutio hujusmodi casuum proprie pendeat à tenore peculiari indulti, quod occasione Jubilæi publicatur; nihilominus, attentis facultatibus, quæ tali occasione regulariter conceduntur; dico, Sejum absolvî posse, tum ab excommunicatione, cum à peccato; non sic vero dispensari ab irregularitate. Ratio utriusque partis ex eo desumitur, quod hujusmodi occasione conceditur quidem facultas absolvendi à casibus, & censuris, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, dempto crimine complicitis in peccato turpi contra sextum, ac criminis heresis formalis externæ; concedi vero nequaquam solet facultas eam dispensandi, saltem in præfata irregularitate; ut aperte colligi potest ex indultis, talibus in occasionibus hactenus publicatis. Neque dicas cum Soto in 4. dist. 22. q. 3. Salmanticensibus, & aliis, quos referit de Ligorio de Pœnit. cap. 1. num. 537. circa fin. irregularitates ex delicto habere rationem censuræ, ac proinde Sejum posse etiam dispensari occasione Jubilæi ab irregularitate contracta ob occasionem Clerici. Contra enim, nego assumptum, nempe quod irregularitas ex delicto habeat rationem censuræ; nam Innocentius III. cap. 20. de verb. Signif. Quærenti, inquit, quid per censuram Ecclesiasticam debeat intelligi; respondemus, quod per eam non solum Interdicti, sed Suspensionis, & Excommunicationis sententia valeat intelligi. Ubi ly. valeat idem significat ac debeat, ut responsio sit interrogationi correspondens, & sic cum Pontifex nullam Irregularitatis ex delicto ibi faciat mentionem; signum evidens est, hanc proprie non esse censuram; nam secus, cum ibi recenseat species censurarum, etiam hanc expressisset. Accedit censuram de primario ferri, ut poena medicinalis, ac ordinari ad corrigendos Fideles, ut resipiscant, & caveant delicta in futurum. E contra irregularitas, etiam ex delicto, non est poena medicinalis, sed inhabilitas; nec ordinatur ad corrigendos &c. sed apponitur tamquam impedimentum canonicum, de quo Ecclesia non est adeo sollicita, quod removeatur ab impedito; immo etiamsi hic multoties illud removere satagit, hoc non obstante, pluries negat ei ejusmodi remotionem. Denique censura auferitur per absolutionem, irregularitas vero per dispensationem, & cui conceditur facultas, ut absolvatur à censuris, ex stilo Rom. Curie non censetur concessa facultas, ut dispensemur ab irregularitate, nisi fiat hujus expressa mentio, ut restatur, ac tradit D. Carolus Borrom.

in

in instructione apud P. Antoine de Censur. cap. 5. versus fin. Unde inferatur, quod etsi Sejus possit occasione Jubilæi absolvî ab excommunicatione, & à peccato, per dictam occisionem contractis, non sic tamen dispensari ab irregularitate.

CAS. III. Potest Sempronius solvete integrum debitum; at quia ex pecunia percipit aliquod emolumentum, vult solvere tantum per partes. Q. an Confessarius hoc non obstante debeat illum absolvere?

Resp. per se loquendo, negative, nisi interveniat Creditoris consensus; immo debere illum inabsolutum dimittere. Ratio est, quia semel ac in eo supponitur possibilitas solvendi integrum debitum, & jam lapsum esse terminum integræ solutioni præfixum, statim urget præceptum nihil retinendi de alieno, & per consequens, totum solvendi, quod alteri debetur; id ipsum clamat ipsam dies præfixa, interpellans pro solutione, adæquata debito; & omnia jura injustæ detentionis arguunt debitæ integræ solutioni aliquid detrahentem, totum namque quod detinetur, detinetur contra jus naturale divinum, & contra justitiam postulantem æqualitatem. Unde fit, quod Sempronius volens tunc solvere non in totum, sed per partes, unam scilicet partem debiti hoc mense; aliam alio, & sic successive usque ad totalem solutionem, habeatur ut violator justitiae commutativæ, ut fractio legis naturalis divinæ, cæterarumque legum, & tamquam voluntarie persistens in actuali peccato, communis suffragio reputatur indispositus pro Absolutione, adeoque indignus, qui absolvatur, & positive dignus qui dimittatur inabsolutus, ut videtur est apud Giribaldum de Restit. cap. 5. dub. 4. num. 30. ac Bartholomæum à S. Fausto de Rest. in Gen. disp. 4. quæst. 202. Neque illi suffragatur ea causalis, quia ex pecunia percipit aliquod emolumentum: nam ultra quam quod æquum non est, ut quis ex alieno ditescat, si talis ratio sufficeret ad justificandam detentionem pecuniae, vel alterius rei alienæ, dici etiam posset, licere furi ob idem motivum penes se retinere ad tempus notabile magnam portionem pecuniae alteri furatae, eidemque sufficere, quod restituat per partes: quod quam alienum sit à veritate, nemo non videt; ideoque neque licere Sempronio potenti simul solvere totum ac integrum debitum. Dixi tamen ab initio per se loquendo; nam per accidens, & signanter si interveniat Creditoris consensus, vel expressus, vel tacitus; id posse licite fieri à Sempronio, minime infirmo: quemadmodum enim potest Creditor ipsi absolute debitum remittere, & condonare; ita certum est, quod illi potest etiam permittere, ut paullatim solvat per partes: sicuti etiam id Sempronio liceret, casu quo, simul solvendo integrum debitum, subasset damno valde notabili; & viceversa illud solvendo per partes, Creditor nullum, vel modicum damnum sentiret, ut passim monent DD. At eo tunc censeretur moraliter impotens simul solvere, cuius oppositum supponitur in casu de Sempronio: quem propterea dixi nec debere, nec posse per se loquendo absolvî, sed dimittendum inabsolutum, saltem nondoleat ex corde, se hactenus integre non persoluisse, & statuat, ac firmiter proponat, quam primum per integrum solvere.

Rrr

MEN-

CAS.I. **O**b non impletum præceptum Paschale Gneus fuit publice interdictus. Q. an ab hac censura possit absolvī occasione Ju-bilæi?

Resp. regulariter non posse ab ea absolvii, saltem si intra tempus præscriptum, quod solet esse duarum hebdomadarum, non compareat coram Ordinario, seque promptum exhibeat ad ejus, & Ecclesiæ mandatis obtemporandum. Ratio est, quia non nisi sub hac conditione solet concedi facultas absolvendi hujusmodi delinquentes, ut colligi potest ex Indultis Jubileorum præcedentium, immo SS. D. N. Clemens Papa XIII. feliciter regnans in indulto Jubilæi ab ipso concessi anno præterito positivi expressit, se aliter non concedere hujusmodi facultatem. Ergo nisi Gneus id præstet, ab hac censura nequit absolvii occasione Jubilæi; facultas namque sub tali conditione concessa (ut recte ait Viva de Jubil. qu. 10. art. 2. num. 7.) conditione non purificata, minime conceditur, & sic Absolutio non subsistit; ideoque etiam Gneus aliter nequit absolvii à tali censura.

CAS. II. Ad excipiemad Confessionem constituti in proximo mortis periculo contemporanea adveniunt Parochus, & aliis simplex Sacerdos. Quan sit necesse, quod hic cedat locum Parocho, ut valida, ac licita sit Absolucion?

Resp. probabilius esse quod sic. Ratio est, quia simplici Sacerdoti videatur solum concessa facultas absolvendi in casu extremæ necessitatis, quando nempe deest copia Sacerdotis tum ordinarii, cum delegati; & aliunde imminet Pœnitenti periculum, quod decedat inabsolutus. Fundamentum desumitur ex eodem cap. 7. sessionis 14. Tridentini, unde adversarii pertrahunt suum. Ibi enim Concilium expresse dicit, pie semper in Ecclesia Dei custoditum fuisse, ut in articulo mortis nulla sit reservatio, ne hac ipssa occasione aliquis pereat: atque ideo omnes Sacerdotes posse absolvere quoslibet Pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris. Quo posito, sic dissero: Si in Ecclesia Dei id semper custoditum fuit, Concilium ibi quoad hoc non statuit jus novum, sed solum declarat, & approbat antiquum, seu antiquam consuetudinem; nam secus antea id custoditum non fuisset, prout asserit Concilium. Sed jus antiquum, seu antiqua consuetudo erat, quod simplici Sacerdoti solum intelligeretur concessa facultas absolvendi in casu extremæ necessitatis, quando nempe deerat copia tum Parochi, seu Sacerdotis ordinarii, cum Sacerdotis delegati; & quidem imminente Pœnitentis periculo, ne inabsolutus decederet, seu ea in occasione periret, ut constat ex can. Presbyteri 26. quest. 6. & cap. inter cunctas q. incendarii de Privileg. & ex aliis texibus antiquis: Ergo etiam nunc talis est intentio Tridentini; ac per consequens necesse est, quod simplex Sacerdos cedat locum Parochio, ut valida, ac licita sit Absolution. Addo, Concilium dicere, omnes Sacerdotes, posse &c. ne hac occasione aliquis pereat. Sed quando adest Parochus, non intervenit tale periculum, quia praesidio est Parochus; ergo &c. Secundo per ly omnes Sacerdotes, probabilius à Concilio ibi non comprehenduntur Sacerdotes simplices, ut adnotant plures DD.

inter quos Fagnanis in cap. *Non est vobis de Spoisalib.* num. 1. & 4. Sed soli Sacerdotes ordinarii, & delegati; quod colligunt, tum ex iis, quæ præcedunt in eodem cap. 7., tum ex apetto Decreto S. Congregationis Concilii ibidem relato à Fagnano hisce terminis: *Caput 7. Tridentini de cassum reservatione referendum est ad eos Sacerdotes, qui habent ordinariam, vel delegatam potestatem.* Ergo &c. At dices: A quo ergo simplices Sacerdotes habent potestatem, saltem in extrema necessitate, absolvendi, ne tunc aliquis pereat? Respondeo, eos illam habere à præfato *Can. Presbyteri*, & aliis Canonibus antiquis. Propterea cum horum tenore nec in articulo mortis possent absolvere in præsentia Parochi, ut supra dictum est; ideo &c. Hinc Catechismus Romanus de Pœnit. §. 55. ait, Concilium docere, quemlibet Sacerdotem posse absolvere ab omni peccato, & censuram, si mortis periculum imminet, & proprii Sacerdotis facultas non datur. Et Rituale Romanum de Sacram. Pœnitent. sub init. Si periculum mortis immineat, approbatusque desit Confessarius, quilibet Sacerdos potest à qui buscumque censuris, ac peccatis absolvere. Moneo hic tamen, quod si simplex Sacerdos, inscius de proximo Parochi adventu, Confessionem constituti in proximo mortis periculo jam excipere coepisset, tunc etiam adveniente Parocco prosequi posset; tum quia judicium jam coeptum debet compleri; tum quia non est gravandus Pœnitens duabus in casu eadem sua peccata confiteri.

CAS. III. Emit quidam à Rustico argenteum pollubrum cum aliquali dubio, an esset venditoris. Ast quia hic iuramento affirmavit suum esse, stante ignorantia facti, complevit emptione contractum. Nunc certo detectum est, quod pollubrum erat alienum. Q. an possit hoc emptor reddere venditori, recuperando premium solutum, an vero teneatur pollubrum restituere domino, si premium facile nequeat recuperare.

- Respondeo cum Giribaldo de Rest. cap. i. dub. 2. & aliis quampluribus, quod si aliter nequeat pretium à se solutum nonnisi cum magna difficultate recuperare, potest emptor rescindere contractum, & pullubrum reddere venditori, sic recuperando pretium à se solutum. Ratio est, quia ipse non tenetur damnum pati, ut servet rem domino; sed potest jus suum prosequi, hanc reponendo in statu, in quo erat, rescindendo contractum; si enim dominus jus habet ad suum pollubrum, etiam hic habet jus ad pretium à se solutum; & si dominus non recuperat suum pollubrum in manu Rustici depositum, respectu reponentis; id est per accidens, ac ex sola malitia ipsius Rustici, cum ille mere intendat contractum rescindere, & suum pretium recuperare: uno verbo, est damnum alterius, cui obviare non tenetur, & mere permittere, ut semetipsum servet indemnum, quod licitum esse, omnia jura clamant, cum naturale sit prius sibi consulere, ac rebus propriis, quam alienis. Vide Alphonsum de Ligorio de Rest. dub. 2. num. 569.

MENSE OCTOBRI.
CAS. I. **Q**uidam honorem alteri absulit per consumeliam, convitum, ac impropterum; deinde taliter affectum benigne, & amicabiliter tractavit. Q. an iste modus resaciendi honorem læsum sit sufficienter satisfactorius.

Respondeo cum distinctione. Vel agitur de superiore, qui inhonoravit inferiorem: Vel de inferiore, qui inhonoravit superiorem: Vel denique de æquali, qui inhonoravit æqualem. Si primum; dico, talem modum resaciendi honorem læsum, esse sufficienter satisfactorium; quia licet etiam superior quando juste offendit inferiorem, debeat reparare offensam; modus tamen hujus reparationis talis esse debet, ut nec deprimir dignitas, nec imminuat auctoritas, nec gradus, aut conditio vilescat: præcipue cum satisfactio, quæcumque in se sit, in hoc casu, ex diverso respectivo statu, & conditione personarum augmentum recipiat. Hinc si Prælatus subditum, Princeps vassallum, pater filium, dominus servum offendit, non est ab his facienda venia petito (idem dic de valde nobili respectu plebæji) quia hæc esset eidem subjectio contra naturæ ordinem, ut ait Stephanus à S. Gregorio de Restit. in Practic. cap. 12. num. 49. sed sufficit, eisdem exhibere extraordinaria signa honoris, & benevolentiae, quæ nempe similibus personis exhiberi non solent; cujusmodi plane sunt, benigne, & amicabiliter tractare, honorifice consulutare, aut quid simile; ut tradit etiam Valerius Reginaldus, Praxis. t. 1. lib. 10. de Restit. n. 355. quod est conforme monito relicto superioribus in Regula à D. August. hisce verbis: *Si vos modum excessisse sentitis, non à vobis exigitur ut à vobis subditis veniam postuleatis, ne apud eos, quos oportet esse subjectos, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas.* Si secundum; dico, prædictum modum non esse sufficienter satisfactorium, ob rationem oppositam, propter magnam disparitatem inter offensorem, & offensum; ideoque quid plus requiri cum proportione ad qualitatem inhonorationis, & excellentiam, seu majoriam personæ offensæ. Hinc communis est Doctorum sententia, requiri in casu petitionem venia, si in id offensus consentiat; & etiam quid plus, quod necessarium prudenter reputetur pro integra restitutione. Notant tamen Cajeranus, Molina, Covarrubias, & alii quamplures apud relatum à S. Gregorio n. 50. non esse necessariam venia petitionem quando judicio viri prudentis honoratio modo restituitur. Si tertium; dico pariter, non sufficere dictum modum satisfactorium, sed ulterius requiri petitionem venia; immo, si inhonoratio fuit admodum gravis, venia petenda est flexis genibus, ut satisfactio sit adæquata; ut cum S. Antonino, Salmanticensibus, & aliis tradit de Ligorio.

CAS. II. Sejus furatus est aliquot oves jan tonsas Cajo; deinde ex nova lana lucratus est multum. Q. an teneatur restituere domino etiam hoc multum, acquisitum ex lana.

Resp. affirmare Rebellum de Just. part. 1. lib. 2. quæst. 4. num. 2. & alios non paucos, inquietos, lanam istam esse fructum naturale. Ast negat Pharaonius de Restit. sess. 29. cas. 32. cum aliis, eo quia hujusmodi lana numeratur inter fructus industriales, ut testantur Card. Tusclus Pract.

Con-

Concl. t. 4. Concl. 485. n. 5. Menochius lib. 2. de arbitri. cent. 3. cas. 210. n. 26. Azorius, & alii apud Sanchez in Dec. tom. 1. lib. 2. cap. 23. n. 53. quoniam non modica industria, & cura intercessit in pascendis, & custodiendis ipsissimis ovibus; ubi è contra fructus naturales dicuntur, in quibus industria hominis non est necessaria, ut loc. cit. docet Tusclus n. 12. Terram tamen mihi placet inire viam, hujusmodi lanam recensendo inter fructus mixtos cum Giribaldo de Restit. cap. 2. dub. 5. num. 45. ideoque dico, Sejum eneri domino restituere etiam hoc multum acquisitum ex lana, deductis tamen expensis, ac estimatione industriae. Ratio est, quia etiam talis lana est fructus rei alienæ: quamvis enim partim procedat ab industria, & partim à natura; tamen quia natura principiores quoad eam habuit partes in operando, censemur fructificasse domino ovium; cui proinde sicuti deberetur lana, si apud ipsum cum ovibus adhuc staret; ita his cum lana apud Sejum amplius non extantibus, eidem domino debetur illud multum ex lana acquisitum, deductione facta prædicta; ut sic nec malæ fidei possessor ditescat ex re aliena, nec dominus fructum reportet ex aliena industria, & expensis; quemadmodum ibidem num. 49. docet laudatus Girib. cum Bonac. Lugo, & aliis.

CAS. III. Cajus bona fide emit à fure rem furitum ablatam, eamque postea alteri vendidit, qui pariter eam vendidit tertia personæ. Q. an sive Cajus, sive is, cui rem ipse vendidit, deinde agnoscentes, hujusmodi rem esse alienam, teneantur in conscientia servare indemnum hunc tertium emporem rescindendo contractum.

Resp. quamvis probabile videatur neutrum in casu teneri rescindere contractum cum tertio emptore, ut hunc servet indemnum; eo quia Cajus cum eodem nullum iniit contractum, & alter videtur propriæ obligationi satisfacere, si eidem cedat actionem, quam ipse habet contra Cajum; tamen si tertius empator instet contra secundum, & hic contra primum pro rescissione contractus, dico, secundum ad id teneri in conscientia, ut servet indemnum hunc tertium empotrem; primum vero, ut sic servet, non tertium, cum quo vere non contraxit, sed secundum. Ratio utriusque partis est, quia licet ambo in venditione processerint bona fide, tamen de utroque illorum verificatur, quod respective vendiderit rem vitiosam; ac proinde respectivo empori teneatur pretium restituere, absque eo quod possit illum remittere ad alium cum quo non contraxit; ut cum Bonacina de Restit. quæst. 4. punct. 2. Soto, Lessio, & aliis, recte inquit de Ligorio de Restit. dub. 5. n. 61. Quod valet, etiamsi convenierit non teneri de evictions, ut aperte constat ex l. Emptorem S. qui autem ff. de Actione Empt. Hinc sicuti si quis vendat alteri vitrum pro gemma, vel solvat monetam falsam pro legitima, vel permutes auriculum pro vero auro, tenetur in conscientia rescindere contractum, semel ac dignoscitur error, ac alter instat pro sui indemnitate; ita semel ac dictis constat, eos vendidisse rem vitiosam, seu alienam, tenentur in conscientia respectivum contractum rescindere, ac pretium accepitum restituere.

MEN-

CAS. I. Q uis emit censum numerata pecunia, & cum aliis requisitis, excepto tamen, quod pecunia non fuit numerata coram Notario & testibus? Q. an hic contractus, ceteroquin factus seclusa omni fraude, & dolo, fieri potuerit tutu conscientia? Resp. negative. Ratio est, quia S. Pius V. in sua constitutione Cum onus, edita super materiam censuum, expresse requirit inter alias conditiones necessarias ad valorem, ac licitatem census, ut pecunia numeretur coram Notario & testibus; cumque hujusmodi conditions ab eo opponantur tamquam forma, adeo ut secus contractus sit irritus, usurarius, & scenerarius, tam in foro exterior, quam interior, ideo hujusmodi defectus sufficit, ne hic contractus fieri potuerit tutu conscientia. Neque dicas, finem Pontificis in apponiendis illis conditionibus, ac signanter prefata de numeratione pecuniae coram Notario, & testibus, fuisse ad avertendos ab hisce contractibus dolos, & fraudes, qui proinde seclusa omni fraude, & dolo, saltem pro foro interno liciti, ac validi sunt; & sic etiam praesens fieri potuit tutu conscientia: Ne dicas, inquam; in primis enim minime constat, quod hic fuerit unicus finis intentus a Pontifice, nam fieri potest, quod Pontifex etiam intenderit aliquid aliud, ob quod valori, ac licitati contractus dictas apposuerit conditions; unde ex quo cesseret fraus, & dolus, non per hoc statim inferri potest, cessasse omnem finem earumdem, & signanter predictarum. Deinde etiam demus, hunc fuisse unicum finem Pontificis, cum Bulla fuerit juste constituta ad evitandas fraudes; etiamsi in uno, vel altero casu cesseret fraus, non per hoc cessat vigor legis generalis, qua respicit quod ut plurimum evenit, non autem quod evenit in uno tantum, vel altero casu; maxime cum, etiam quando non intervenit fraus, non sit semper remotum fraudis periculum; & sic ad hoc praecavendum dici possint apposita illae conditions. Palauis tr. 33. disp. 6. punct. 16. num. 8. de Lugo, & alii. Hinc eum in nostro casu adhuc valeat visus earumdem, si in eodem servata non fuit conditio numerationis pecuniae coram Notario, & testibus, contractus censualis in casu fieri non potuit tutu conscientia.

CAS. II. Vendidit Sejus rem Censi suppositam tribus emptoribus. Q. an Creditor Census convenire valeat in solidum omnes tres emptores ad solvendum integrum Censem?

Respondeo cum dist. Vel Sejus prius denuntiavit istam venditionem Creditori census, vel non. Si non, dico, Creditorem census utique posse convenire in solidum omnes tres emptores, immo & venditorem ipsum rei venditare, ac censi subjectare, ad solvendum integrum Censem. Ratio est, quia ex culpa debitoris, ac multiplicatis illis emptoribus, non debet fieri peior conditio Creditoris ipsiusmet censis l. 2. §. ex his ff. de verb. oblig. & l. plane ff. familiæ herciscinda. Navarrus in Comm. de Usur. num. 118. Fieret autem peior Creditoris conditio, si quod prius ab uno tantum exigere poterat, novis emptoribus per suummet debitorem, ipso inscio, multiplicatis, non posset in solidum exigere illud idem, aut ab eodem suomet debitore. Si vero Sejus prius denuntiavit Creditori census talem vendi-

dictionem, tunc dico, Creditorem Census non posse convenire in solidum omnes tres emptores ad solvendum integrum Censem, sed tantum eos convenire pro rata, juxta partem Census; eo quia pars rei in tali casu transiit cum parte oneris; unde sicuti quilibet ex Emptoribus in particulari tenetur solvere ad ratam sue partis Census; quoad eamdem ratam potest Creditor eos solum convenire. Vide Azorium 3. part. Inst. Mer. lib. 10. cap. 21. v.

CAS. III. Sempronius falsis testibus accusatus de gravissimo crimen, tormentorum metu fateatur se commisisse crimen, quod non patravit. Q. an ab ipso fieri debeat retractatio?

Resp. cum dist. Vel imputatio falsi criminis quod metu tormentorum se commisisse fatetur, resultat in grave praejudicium alterius, puta, in grave scandalum proximi, in notabile dedecus familie &c. vel non. Sidnon, dico, quod si rationabiliter metuat, se ad multum gravia tormenta raptum iri, prout ordinarie contingit, si faciat retractationem, non est in eo hoc debitum, ut ab ipso fiat retractatio, etiamsi mors inde ipsi sequi deberet. Et ratio est, quia in hoc casu sibi ipse proprie mortem non intendit, sed visitationem illorum valde gravium tormentorum, de quibus ob cruciatum diuturnum, ac valde dolorosum, merito dici potest, quod non est tanto dolore digna salus, & vita; ob quam rationem etiam a peccato excusantur qui resecationem alicujus membra, aut scissionem, vel aliam curationem valde dolorosam respunt, ac proximam mortem amplectuntur. Neque per non retractationem, proprie cooperatur injustæ sui damnationi; nam ex una parte, si malum sibi evenire permittit, id facit, ut mox dictum est, ex gravi ac rationabili motivo, ne longiori morti subsit; ex alia Judge ipsum condemnans procedit juxta allegata, & probata, sive ex hujus parte nulla interficitur iniquitas. Si postea imputatio falsi criminis resultet in grave praejudicium alterius; tunc dico, quod a Sempronio fieri debeat retractatio, non obstante metu gravium tormentorum; eo quia, dicet ipse possit licite suæ familiæ renunciare, & ex rationabili motivo sui mortem permittere, non sic tamen, sua falsa confessione criminis, grave aliis praejudicium inferre. Lessius de Just. & Jure lib. 2. cap. 11. dis. 7. Sporer in 8. præc. Dec. cap. 4. sect. 1. num. 190. aliquie non pauci. Dixi postea ab initio, si rationabiliter metuat, se ad multum gravia tormenta raptum iri; nam si tormenta, quibus se retractando subjiceret, levia essent, tunc certum est, quod deberet se retractare, ad se liberandum a morte, aut alio gravi malo, nam tunc ad se retractandum ipsum adigeret obligatio, tunc propteriam vitam, ac se liberandi ab illo gravi malo, ut recte tradit Steph. à Si Greg. de Rest. in part. lib. 1. cap. 12. num. 19.

M E N S E D E M B R I S.

CAS. III. Bonum Confessarius facultatem absolvendi Peccantem a quodam reservato ipse exposito in Confessione, asti quia hic jamdiu non amplius ad ipsum accessit: Q. an valeat uti facultate obtenta, absolvendo alium eodem reservato inquinatum?

Res-